

quibus procedit accipit a physica , sicut omnes scientiae a metaphysica , & mathematica agit de quodam accidente substantiae mobilis , quod originatur ab ipsa , & ad ipsam resolutur ; quantitas enim , de qua est mathematica , à substantia mobili materiali originatur , & ad ipsam ordinatur , cum propter ipsam sit ; quare quæ est comparatio metaphysicæ ad omnes scientias , illa est physicæ ad mathematicam .

33 Quæres , physica subalternurne rigorosè metaphysicæ ?

Responso pro me est negatiua , & hoc dico cum D. Thoma , quia tunc propriè , & rigorosè intercedit scientiarum subalternatio , quando cum earum diuersitate conclusiones scientiae subalternatae ita se habent , ut non sint vñbiles nisi ex principijs subalternatis , adeout subalternata non habeat propria & immediata principia per se , sed mutuetur principia mediata a subalternante ; non ita se habet physica respectu metaphysicæ , cum habeat principia propria immediata , & per se nota , quæ non indigent secundum se notificatione metaphysicali , cum non habeant per se medium à priori , per quod probantur , ergo &c.

34 An verò physica sit vna specie , aut genere scientia , Comptōius disput . 1. primo physicorum sectione 2. n. 3. ait esse vnam , non specie , sed genere ob varios partiales tractatus , quos instituit de rebus specie distinctis , vt de quantitate , motu , vbi , vacuo , & similibus . Ego tamen non adhæreo , quia , ea , quæ in physicis tractantur per se sunt illa , quæ dictam scientiam specificant , non ea quæ secundario & per aliud tractantur ; ea quæ per se tractantur in consequenti discutentur sectione , vnde hæc difficultas soluta erit .

SECTIO II.

Quodnam sit physicæ obiectum .

MVltæ sententiae de obiecto huius scientiae phisiologicæ in scholis præsentatae sunt usque modo , & ita variæ inter se , vt nullo modo videtur quod veritas ab hominibus inueniri possit ; quare antequam ad meum placitum proponendum deueniā , prius aliorum opiniones adducam illas confutando ; deinde quid , quotplex sit obiectum , & quodnam huius scientiae proximis determinabo .

SVB-